ORATIO DE VIENNA

AB ARCTISSIMA TVRCARVM OBSIDIONE LIBERATA

SVB AVGVSTISSIMO LEOPOLDO CAESARE

DICTA

A IOANNE BAPTISTA LVCINO NOBILI ANCONITANO


IN ACADEMIA HVMORISTARVM VRBIS

Die tertia Octobris MDCLXXXIII.





PERVSIÆ, Apud Costantinum. MDCLXXXIV.



ORATIO.



Lluxit tandem fortunatiſſimus ille dies noſtra conſpicuus Victoria, Turcarum clade inſignis, quo nullus vnquam Chriſtianæ Religioni, vel illuſtrior poſſit, vel debeat eſſe felicior; Qui Viennam Imperij caput arctiſſima obſidione, acerbiſſima vexatione Germaniam, Italiam æternamque hanc Vrbem metu indigniſſimæ ſeruitutis liberauit, & infenſiſſimos fidei hoſtes vaſta penitus ſtrage deleuit.

Detonuit tãdem ſæuus ille nimbus armorum, qui noſtro capiti minabatur: & bellici furoris incendium, quod fertiliſſimas Mundi Prouincias longè latèque vaſtauerat, Thracio demum ſanguine extinctum eſt.

Nuſquam digniùs Cæſarea Maieſtas effulſit, nuſquam clariùs Regia virtus emicuit, nuſquam ſanctiùs Pontificia Charitas apparuit, nuſquam latiùs Chriſtiana Reſpublica triumphauit.

Quæ nunc gratulationes, qui plauſus? vt feruet in oculis gaudium, vt ſplendet per templa, per aras; vt turbant

noctis Imperium faces accensæ in argumentum lætitiæ, vt isti parietes, hæc ædes quodam Iucunditatis sensu gestire, & exultare videntur!

Musæ etiam, (quibus Cura Heroum facta in longum AEuũ dimittere) parantur ad laudes; quid tantùm ad laudes? Virginea, sed sæua Cohors, bella volunt, tela vibrant, plectri cuspide victis instant, horrendamque edunt per Carmina cædem.

At Vos Mundi decora, belli fulmina, totius Christiani Orbis propugnatores inuicti, ingensque æternæ gloriæ cõplementum, omnium laudes promeriti, quot quot à Vobis seruatos se sentiunt (sed qui non seruati?) quod Victoribus difficillimum est, à sanguine & cæde parumper abstineatis, donec Roma æquas vobis reddat gratias, & tota in vestras commendationes erumpat; ibitis postea acriores vltima belli spolia suscepturi.

Quanquam adeo beneficij pondus excedit, vt vix dum soluta metu Capitolium aperiat, & triumphales statuas moliatur, non habet tamen vnde satis se gratam testetur. Quòd enim stamus, quòd sumus, quòd his aris, his templis, quòdque erudito hoc cœtu perfruamur, Vestrum est, Vobis debetur, Vos vestris periculis nostram salutem, vestro sanguine nostram felicitatẽ confirmastis.

Permittite tamen vt catenatas, inter fractasque hostium ceruices nostrę emicent monumenta gratitudinis, Victęque inter Turbæ gemitus eorum plausus excipite, pro quibus vicistis; nec deerunt verba dicenti; quando hæc selectissimorum virorum circumfusa corona, hæc tam frequens copia Purpuræ, tamque intima cordis lætitia pars & pretium erunt eloquentiæ.

Verùm tantam pompæ celebritatem tanta dedecet temporis angustia, cursu opus hic est, non oratione, excusanda igitur, quæ dixerim, & quæ non dixerim; date interim veniam Auditores ornatissimi, vt nostri timoris causas, quæ iam abierunt in gaudia, leui adhuc stilo pertranseã. Placet inter conuiuia narranti superata maris tempestas, & transacti feliciter periculi læta est recordatio.

Quæ rerum facies? cum infestissimus Christianæ Religionis Hostis, diu meditatum bellum horrendo apparatu, quale nunquam vidit Antiquitas, indita ferocitate Ingenij, Coniuratorum inuocatione, cupiditate prædæ, finitimis, pulcherrimisque Prouincijs inferret?

Fremit superbia militum penetrandas Pannonias, vastandam Austriam, Viennam ipsam, munitissimum Imperij caput, & tertio parem experimento quà vi, quà dolis tentandam.

Quis Persarum vanitatem amplius miretur? fama est inter cæteros belli apparatus, quibus Græciam adorti sunt, saxum ingens adduxisse, destinatum ad tropheạ nondum deuictæ pugnæ, nondum obtentæ Victoriæ; Certiùs tamen Imperij spem, & fortunas, dicataque Christo Regna vana Hostium temeritas animo nunc occupauerat: Hinc plurima ad bellum suppellex, plurima ad triumphum.

Nullum interea sæuitiæ genus omissum; non sexus, non ætas barbarorum manus euasit; tot sceleribus magis quã par esset, indulgente fortuna.

Mactè tamen animis fertilissimæ Prouinciæ Immerita licet clade vastatæ, amẹnitatem vestram, quàm sæua præripuit tempestas, Hostium profunda cædes ingenti compensatione rependet.

Vos etiam, Patriæ Hoftes, infaufta nomina Teclij, & Buduane, vos huius furiæ, facefque belli, qui teterrimas acies in florentiffima Regna inuexiftis, dabitis citò, dabitis, inauditi fceleris pænas, quid dabitis? datis, imo veriùs iam dediftis, deteftabiles femper in ore famæ, in vituperatione gentium; quanquam fi veftra, tot Hoftium clades, fuerat perditione obtinenda, gratias patrati facinoris promeremini; bene eft; Quòd vobis non rebellantibus non poterat triumphari, & vobis non pereuntibus, non poterat Refpublica conferuari.

Munitiffima interim arce fruftra tentata, ad Viennam præcipiti curfu barbarus aduolat Miles, Viennam adoritur; quatit, oppugnat; fed irrito femper conatu, obtritæ machinæ, repulfa vis, fufæ copiæ, trucidatæ Acies, repleta Cadaueribus foffa, flumenque plurima cæde redundans.

Quæ verò tibi debita eft laus Erneste propugnator fortiffime, Germanicæ virtutis æternum decus, & gloria, qui fummis periculis aufus es intrepidum pectus obijcere, & exúdantem armorum torrentem vno muri argine cohibere? In te conuerfi funt omnium oculi, pro te funduntur omnia vota, tibi militant omnium preces; cui non dictus? cui non laudatus? tibi facratæ Cælo Virgines pulchro fuffufæ pudore genas fuam cõmendant pudicitiam; tuum Religiofi Ordines, mixtiq; pueris fenes, nomen inuocant, & patrocinium felix à quo pendeat templorum augufta Maieftas, Imperij caput, falus Orbis, Fidei fpes & Religionis; Viderint Hoftes noftri, & hoc demum experimento erudiantur quàm diftet à cæco impetu vera ratio belli, à temeritate virtus, à pertinacia conftantia? Quid

moror?

moror? feliciter exceſſiſti vota; ſpem ſuperaſti; peruigil, aſſiduus operi, infractus animo, & fide, barbarorum conatus repreſſiſti; egregiè tuo nomini, ſaluti noſtræ, & futuræ hiſtoriæ conſuluiſti; tuo exemplo incenſi Milites, vitæ & ſanguinis prodigi ſtrenuè dimicantes, triumphalem animam pro fide, pro Patria litarunt; illi iam gloriam adepti, ſuperſtites promeriti, vtrique felices.

Exigua tamen ſit illa Victoria, quæ depreſſum dimittat Hoſtem non fuget, fuget tantùm non obruat; nimis æquè cum iniquiſſimis hoſtibus actum foret, ſi pares ſcelerum, impares exitu, aliqui abirent ad ſuos noſtri ſanguinis oſtentatione gloriantes; hæreant adhuc mœnibus, ſit longa obſidio, vel quia breuis, inuictæ feciſſet iniuriam virtuti, longum exempli ſpatium promeritæ, ne paucis ſplendoribus coruſcaret; vel vt iuſtas digeſta per moras, ad debitam maturitatem pœna adoleſceret; venient (auguror) tot cædium vltores, penaſque de ſæuiſſimis gentibus repetent; Germani ſe nouerint, feliciter in publicum conſpirabunt hoſtem; & Poloniæ Legiones, verè fulminatrices, mutuum cum fœnore reddentes, ad Imperij præſidium aduolabunt.

Inſtans tamen periculum, longè auxilia, impigra mala, maliſquè plerumquè tardiora remedia: quis diſſitas gentes Patriæ charitatis vinculo, & inopina ſocietate coniunget? Tu omnium maximus ſanctiſſime Pontifex, itinerum morarumque diſpendia, miro celeritatis & prudentiæ compendio præcidiſti; ſub tuis auſpicijs Regia fœdera ſtatim coaluere, in fidei & Imperij tutelam quàm citiſſimè eruptura.

Res miraculo ſimilis, Glorioſiſſimus Poloniæ Rex nutu Sanctiſſimi Pontificis vbi Imperium, vbi fidem periclitari videt, purpuram abijcit ad pedes Virginis, galeam induit, & ſui ſuorumque oblitus (heroum inſtar, quos ex ſuſcepta Orbis tutela commendauit Antiquitas) extra Regnum incunctanter euolat; quid extra Regnum? qui Regnum vbiquè habet, vbi eſt honor gloriæ, amor virtutis? quid extra Regnum, dum inuictiſſima Natio penè ſuis effuſa ſedibus Regem ſuum vbique in pugna, vbique ſequitur in triumphis?

Salue flos Regum, gemma Principum, defenſor fidei, perpetuus Triumphator, & victor; quid duplici Victoria tumulus ſuperbiat Epaminundæ, cum tu tot merueris trophea, qnot prælia, nec annos numeres, ſed triumphos? O tuis etiam maioribus maior, Grande nomen IACOBVS SOBIESCHI; ſed ille ſub VVladislao Rege egregiam militiæ nauauit operam, tu dignus ſemper, cuius ſub auſpicijs erudiendi Reges militarent, ille ad Thracem Tyrannum legatus miſſus Reipublicæ pacem firmauit, Tu bello Turcis illato ſalutem confirmaſti; Bellum ille cum Oſmano feliciter geſtum eleganti ſtylo deſcripſit; Tu ſcribenda facis; quis enim tua valeat numerare trophea? quid memorẽ Chocimẽſi clade profligatum Ibraim? quid exiguis copijs, apud Zoraucum, Turcicum, & Tartaricum bellum diſſipatum? ſenſere olim victricẽ dexterã ſeruatæ Vrbes, Domiti Thraces, Sueci, Moſchæ, Coſacci, Trãſiluani, Magdeburgici, pugnati ſæpè ſẽper victi.

Sed primæ hæc fuerint rudimenta virtutis, & decora Ducis, Regem facere condiſcentis; vt venit in Regni lucem, vt adoleuit in purpura, quàm tunc in immenſum erupit

virtus,

virtus, quàm felici alluuione visa est amplificari? obstupuit fama inaudito facinore perculsa, cum tu Regni insignia suscipere distulisti, donec periclitanti Reipublicæ consuluisses.

O felix dilatio fœnus æternæ gloriæ paritura! mirentur Reges generosam animi moderationem, qui regnare nollet, nisi dum Respublica salua foret.

Tuquè ò Regiæ stirpis generosa Propago, spes metusque populorum, & maior ad patriam tot palmarum accessione rediture, quæ in hac fidei, & gloriæ Palestra pones tyrocinia virtutis? vt trophęa Patris te excitant ad gloriam, vt sacra meditaris bella, & quodam felicitatis augurio, studio Regio, Vrbium Imagines oculis metiris & euoluis, quas deinde prælio vincas; pluresquè erudiris in linguas, vt plures domineris in populos.

Interea dum hæc miramur, fulgentes armis, feroces, inuictæ, famæque similes, Polonicæ, & Lithuanicæ Legiones ad Istri ripas iam consistunt; hic qualis heroum concursus? nusquam splendidiùs, siderum congressu sublimis cæli plaga renidet; vt ad Cæsaris, & Regis adspectum pars illa Mundi beatissima insuetis splendoribus coruscauit. Quæ tunc laudum in Cæsarem conspiratio? cum Exercitus è longinquis Regionibus ad pręlia missus; tanta maiestate perculsus, eloquentiæ munus obiret, & in LEOPOLDI plausus effusus, sic conclamaret: O Inuictissimum Imperij & Religionis, in pace decus, in bello præsidium, Augustissime IMPERATOR, qui miro fœdere tam diuersas res sociasti, belli laudem & pacis gloriam, authoritatem & moderationem, maiestatem morumque facilitatem, clementiam & iustitiam,

& quod

& quod difficilius, summam Potestatem ; & summam Fidem.

Tu Pacis studia ita seruas vt ornes, bellum ita geris, vt semper vincas. Per te Romanæ triumphant Aquilæ siue Rheni siue Danubij Alueum bibant, & tot Regnorum Interualla, quibus sol peragrandis vix satis est, tuis coniunguntur Victorijs. Tu Ecclesię Columen, Orbis salus, & tutissimum aduersus ferocissimas Nationes Religionis propugnaculum: Felix Austria, Aula Regum, Heroum seminarium inexhaustum, iam tuis triumphis vterque pęnè deficit Orbis. Tertius igitur pateat, cumq; fidei Causa sit cum tua gloria cõiuncta, tuis inuideat victorijs, qui Mundi oderit felicitatem, qui Religionis horreat Incrementa. En tuis nostra iungimus Arma iam dudum fidei defensioni consecrata. hæret adhuc mẽtibus nostris, quod Tu confertissimas copias contra nostrarum Prouinciarũ Inuasores præsentissimo beneficio transmisisti, nunc gratiam cum fænore rependimus, nisi quòd antiquo muneri nouum onus accedit, quòd gloriam etiam communẽ hostem vincendi, nobis communem facis; fæderatas inter acies nulla æmulatio, quam gloriæ, nullum certamen, quàm virtutis, nulla offensio, quam periculi: primos iube labores, experire.

Nunquam desinent gratissimæ nationis præconia, nisi laudum cursum initium pugnæ intercipiat, interim Diuinæ Prouidentiæ miremur arcanum, quòd anteactis sęculis ad inuidiam, ad nostræ ætatis gloriam, ad Posterorum erit admirationem; Tres Diuina Bonitas ab æterno elegit animas, quas morum similitudine, & præstantia ad tutelam Religionis, & Orbis in summo rerum discrimi-

ne

ne ſociaret INNOCENTIVM, LEOPOLDVM, & IOANNEM; par in populos Charitas, in Deum pietas, par Religionis ſtudium, omnibus idem ad Imperium Iter, VIRTVS, MERITVM, NON FORTVNA; Digni quos optimi inter meliores probarent, Digni qui curam rogati capeſſerent Reipublicæ, Digni qui inſimul periclitanti conſulerent Religioni, qui inſimul vincerent, inſimul triumpharent.

Iamquè traiecto Danubio fatalis patuit area Belli. Hinc barbarorum innumerabilis multitudo, & Turba potiùs, quā Exercitus; illinc Chriſtiana Cohors ſplendidior Armis, conſtantior ſignis, & tam alacris ad pugnam, ac ſi diuinitus foret illi promiſſa Victoria.

Bene eſt, plures ſunt Hoſtes, at plures vincentur: plures ſunt Hoſtes, hos verò quot computas? Quem enim parem habeat Lotharingi Ducis Inuictiſſima virtus, in Aula Heroum progenita, adulta in Caſtris, pluribus exercita prælijs, innumeris decorata tropheis? Vix Hoſtes viderint Victricem Aquilam, qua ad Sangottardum funeſtiſſima fuerunt clade deuicti, Vix Caroli Quinti (Turcis ſemper fatale nomen) militaris tuba concinet, vt præcipites illos in fugam rapiet recentium præliorum terror, & antiquæ ingens vmbra victoriæ. Quid memorem heroici ſpiritus preſentiam, qua ſub hoſtium oculis Vrbes præmuniendo ſeruauit? quid fortitudinem, qua innumeras acies parua militum manu continuit, inuaſit, diſiecit? Nimirum per hæc veluti prima Belli tentamina ad plenam erudiebatur Victoriam.

Gratulor tibi Principum fortiſſime, quòd ſalus publica tantum tibi debeat, quantum intereſt, per te extrema inter

peri-

pericula Cæſareæ Domus Maieſtatem fuiſſe ſeruatam; Tu laboranti Germaniæ, Tu periclitanti Italiæ opem tuliſti, feciſti quæ fidem excedant Hiſtoriæ, quæ Poetarũ commenta tranſgrediantur.

At qualis ex illa armorum nube grandis emicat Imago virtutis! agnoſco Germanicæ gloriæ propagines, & tot Heroas, quot Principes, quorum præſentia efficiet, vt hoſtibus ineuitabilis ſed non turpis ſit fuga, neceſſaria ſed glorioſa ſit mors.

Præcipuus tamen fulguranti ex illa nube Bauarus radiat Achilles, qui cæteris virtute præſtat, & exemplo; Primus ille auxiliares mouit copias, exercitum commeatibus inſtruxit; Primus Cæſari ſalutis indidit ſpem; Primus ad Victoriam oſtendit iter, nimirum huius inclytæ familiæ Principes hoc fato naſcuntur vt Vrbis Viennæ defenſores alij, iſte ſit Vindex. Iuuat mirari regiam indolem Belli Paciſque mixtam trophæis, ſubditis placidam, Hoſtibus formidandam; Iuuat tam præclara ex Aurora lucidiſsimum auſpicari ſolem, & hoc gloriæ primordio futuros metiri triumphos.

Te etiam manent debita famæ præconia, & quæ, parcendo tempori, nunc prætermitto, ſpondeo, ingenti laude rependam.

Habet etiam noſtra Italia vnde meritò ſuperbiat, ſentiatque poſitam ſe extra Inuidiam, non extra gloriam; Innumeros habet illa Duces, quorum probata fides, laudanda virtus. Vos Rabatta Straſo, de Caraffa Archinte, & antiquos reduces ad Triumphos (Prima Vrbis ſydera) Torquatos, & Innocentios, & te o ingens Vrbini gloria. Voſque præclara Ferrarię ornamenta, Teque egregium Ianuę

Decus,

Decus, cui plus ex vulnere manat gloriæ, quàm cruoris; quantum ad ſpem auitæ virtutis aſſurgis, & famæ; cogit temporis anguſtia vt multum veſtris detraham de laudibus, & penè inuidus videar & ingratus.

Sed quò me rapis Felſina primis onuſta victorijs, & primo palmarum libamine ambitioſa! quod par heroum AEneas, & Albertus ex florentiſſima illa familia, quę pluribus inſignita trophęis collecta tenet quæ faciunt diuiſa beatos, ille Turcarum terror vix ſub Octauio Piccolomineo eius auunculo miles inauguratus Leuentium ab arctiſſima obſidione liberauit; mox ſupremus Equitum Ductor præcipuam Vngariæ partem breui dierum curſu vincendo reſtituit.

Iſte ſummum robur, ſumma cum prudentia coniungens, egregia fide & conſtantia, difficillimis in tractationibus apud Turcarum Tyrannum ita ſe præſtitit, vt publica res & Imperij Dignitas ſalua foret, irrita etiam legatione glorioſior.

Hanc tamen laudis partem ad vos ſpectare, Academici Ornatiſsimi, iure cenſeo, quia ad vos ſpectat Albertus Collega veſter, & ſocius emeritiſsimus, qui in hoc eruditorum theatro humanioris literaturæ lacte imbutus, primæ iecit fundamenta eloquentię.

Tot igitur Heroum aduentus in quorum barbara Turba confidebat abſentia, timeo ne ſolo nominis terrore timeatur, actoque in fugam Hoſte pręclaræ abrumpat ſpem Victoriæ. Stabunt, licèt territi, & ad veſtrum triumphum ſtabunt; Nemeſim expectantes, arrogantię vltricem, & tot facinorum pęnas reddituri.

Hinc commiſſę Acies, vibrata tela, inflicta vulnera, & co-

minùs de ſalute, & gloria decertatum, tamdiu reſtitere hoſtes, donec conſtaret deberi victoriam virtuti, haud fortunę. Viſirius Chriſtiani Exercitus impetum impar diù ſuſtinere, ceſsit tandem, equi celeritate non ad prę-lium vſus, ſed ad fugam; Hinc primùm in Hoſte trepidatio, mox fuga, orta cędes, parta Victoria, prerepta Caſtra, ablata in-ſignia, ſeruata Vrbs, plurium Nationum nomina vnius compendio Prælij deleta, Orbisque rapinę vna tantum pręda redemptę; nullum celerius Bellum confectum, nulla amplior Victoria, quę, & Germanię latè vlciſcatur iniurias, & Bizantij auſpicetur excidium.

Iamque ſubito terrore perculſus Barbarus Imperator proſperis ferox impar aduerſis miratur Iſtrum ſuorum cęde redundantem, ire tamen ingenti clade tardiorem; nunc feriendus, nunc proſtrandus; ſit finis voti ne finiat Bellum; nulla cum eo Hoſte Intermiſsio, cum quo ſuſpecta pax, tutior pugna, certa Victoria. beneficium, quod oſtendiſtis perficite, vos extrema manet gloria, proferatur cędes, donec vltimam vero Soli rebellis Ottomana Luna patiatur Eclypſim.

Quid tamen hoc eſt? pugnatum ad Iſtrum, & triumphatur ad Tybrim? illic pręlia, hic trophęa Egregius noſtrę attulit author lętitię? Vicit, Cęſaris fortuna, Regis Virtus, Germanię fatum. Cur hoſtilibus onuſta ſpolijs, ingenti oſtentatione obſequij ad INNOCENTII pedes ſe ſiſtit Victoria?

Nimirum tua eſt SS. Pater; tuis auſpicijs conſecratą tuo inaugurata nomine, tuo ſe deuouet Numini, Tu conſilio, Tu opibus, ſtrenuiſsimos Duces, inuictiſsimas Na-

tiones

tiones ad publicam libertatem defendendam excitasti; excitasti non modò, sed impulisti; per te stat salus publica; Tibiquè ij debent quibus nos debemus: Perierat Christistiana Respublica Perierat, nisi Tu Principum maxime Diuina illa, qua prę̨stas mente, & copiosissimis largitionibus laboranti opem tulisses; sic Iouem suum in auream pluuiam dilapsum probauit Orbis; hoc Imbre triumphale fę̨dus adoleuit, cuius fructus, Victoria.

At, vnde nam, qui nostrę̨ semper pepercisti pecunię̨, qui grauissimis oneribus Vrbes subleuasti, hę̨c accipis, quę̨ sic diffundas, hæc habes, quæ sic largiaris? aucta forsitan onera, aut necessaria exactionis clade, absumptæ Prouinciæ?

Absit Pater optime, tua munera non redundant lachrymis, nec largitiones tuæ sunt vectigales; nos incolumes, intacta bona: solus Princeps pauperior factus, qui dum nostris bonis parcit, non parcit affectibus, dum nostras dimittit opes, corda rapit.

Auara hę̨c est prodigentia, quæ æternam in animis molitur seruitutem, & dum Vrbem seruat, totum sibi deuincit Orbem.

Meruerat incredibilis ista liberalitas, habere etiam præclari facinores Imitatores; neque ad tuæ gloriæ cumulum hoc laudis defuit incrementum.

Vidit ætas nostra (quod sibi adscribi vellet antiquorum sanctitas temporum,) Purpuratorum opes, Illustrissimorum Virorum diuitias (præmium laborum & ornamentum virtutis) sacra desiderare stipendia, & quodam spontaneo pietatis impetu, in Fidei hostes irrumpere.

Alatos diceres Thesauros, qui è longinquis Regionibus ad

pedes,

pedes Sanctiſſimi Principis aduolarunt ſacram ſuſcepturi militiam; nec deſunt tibi Sanctiſſime Princeps tuæ domeſtici Imitatores virtutis, nullo tamen faſtu, aut pompa munificentiæ; quorum iucunda foret narratio niſi quòd, quæ pietas nouit laudanda facere, modeſtia audire non patitur.

Hæc quoque tua ſunt Principum optime, quæ licèt omnem ſuperent gratitudinis metam, æqua tamen compenſatione rependimus.

Probaſti Sanctiſſime Princeps noſtris in lachrymis, noſtris in precibus, noſtraque in lætitia & gratulatione reuerentiam, gratitudinem noſtram; dicam ampliùs, probaſti, (quod ſummis Principibus magis expetibile) amorem noſtrum: ſed cum adhuc noſtris beneficijs incumbas & iterum maiora cogites, non ſatis probaſti. Tuo exemplo, tuiſque incitamentis ſubita morum mutatio, profunda Pietas, mentes hominum altè peruaſit; mira res! nullum facinus, crimen nullum, vt dum etiam publica lætitia feliciter inſaniret, Imaginem tamen virtutis non depoſuerit.

Habes igitur præclarum, de labore meritum, de merito triumphum: tenes votum, teneaſque ſemper, duretque in æternum quod vnicè concupiſti; quodque raris contigit Principibus Populos feciſſe felices, quòd (præter Te) nemini, feciſſe meliores. DIXI.

Cur tanta hæc radiat dic luce Panegyris? Author
Lucis ab ipſius nomine nomen habet.

Andreas Peſculius.

